(Szembecii)

Awedyk Mich. Joan. Nep. Pantheon veri numin

PANTHEON
VERI NUMINIS
DEI Ter Optimi Maximi,

Sub Titulo,

SS. THERESSIÆ & IOANNIS à Cruce,

IGNIBUS ÆLIANIS

CLARISSIMUM,

ROSIS GENTILITIIS,

ILLUSTSISSIMI

&

EXCELLENTISSIMI DOMINI,

D. JOANNIS

COMITIS in SŁUPOW

SZEMBEK

Supremi Regni Poloniæ

CANCELLARII,

Graudentinensis, Lubaczoviensis, Capinensis &c &c. &c.

CAPITANEI,

FUNDATORIS Munificentissimi.

FLORENTISSIMUM;

Inter Solennia Consecrationis Encænia,

Festivo lætitiæ publicæ plausu:

à

M. MICHAELE IOANNE NEPOMUCENO AWEDYK,

In Alma Universitate Cracoviensi, Philosophiæ DOCTORE & Professore,

CELEBRATUM.

Anno Quô

Opus salutis humanæ, DEUS HOMO fundavit. 1730. Die 16. Aprilis.

CRACOVIÆ, Typis IACOBI Matyaszkiewicz S.R.M. Typographi.

481

Rosa purpureo Crescit rubicanda Colore
Non lauro cessura virenti. Prop.

Te cuncta loquetur
Tellus, Te varijs scribant in floribus horae. Claudi.





Ioan. Franc. Origa del. Henricus Czech. Sculp. Crac.

AD
CELSISSIMUM PRINCIPEM, ILLUSTRISSIMUM & REVERENDISSIMUM DOMINUM, D. CHRYSTOPHORUM, IOANNEM In SŁUPOW, SZEMBEK, DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ, EPISCOPUM VARMIENSEM, DUCEM SAMBIENSEM,



Pponis Pantheo *veri Numinis Consecratricem Manum* PRINCEPS CELSISSIME, *tantoq; Operi quod nul-*

)a(*lum*

lum tacebit ævum dum desideratum imponis finem, TE in principio exiguæ opellæ non legendum, sed venerandum propono. Vt enim legi possis fasti grandesq́; voluminum Annales volvendi, quos factis gloriosissimis implevisti, & implere non cessas. Faciliùs TIBI *agere opera æternitate memoranda, quàm annotari valent calamis, etiam promptissimis. Omninò ut Julius Cæsar,* TVA *eruditissima pennâ scribendus esses, & tunc demùm* TE *digna contigeret Panegyris. Manum* TVAM *Basilicæ admoves, toto fortiorem Athlante, quæ sine succolatore Hercule Cælum sustentat Polonum, PRÆSVLEOq́; suffulta Pedo, nullius non capax maximæ pro bono publico gerendæ molis. Incohare negotia alijs vix concessum,* TIBI *perficere gloriosum; terminare gloriosissimum, utrumq́;* SZEMBECIIS *proprium. Vnam Manum Supremus Regni CANCELLARIVS inchoando, perficiendo, coronandoq́; operi dedit,* TV *alteram. Ille liberalem,* TV *Sacram, Ille Fundatricem,* TV *Consecratricem, Vtriusq́; Manus Vestrâ dextra est pro bono Patriæ & Ecclesiæ expeditissima, utriq́; ne*

quid

quid sinistri eveniat, ambas impenditis Manus, nullumq; erit sæculum, quô Orbis Lechici non dicamini Athlantes. Loquendum est pro Serenissima Majestate, Vos Hortensij rosas ore spargitis. Standum sive certandum pro Lege & Libertate, Vos Consi & Statores, Vos Patres Patriæ. Præstò Vobis consilia, & plusquàm de Tripode oracula; quæ Vobis amor in Patriam dictat. Præstò arma, quæ Zelus servandarum immunitatum ministrat. Argos agitis, quoties integritati publicæ providendum; Lycurgos, Aristides, aut quæ Nomina in cultu & celebritate Antiquitas habuit, adæquatis; potius superatis, Qui non Vobis, sed Regni bono vitam ducitis, momenta revolvitis. Occurrendum est malo, occurritis & quidem tempestivè, ut prævisa pericula, aut minùs feriant, aut aliò quam gerunt, deponant iram. Sedandi sunt interni tumultus? sedatis; Amovendi sunt & abigendi ultra Thulen jurati Lechicæ felicitati hostes, amovetis, abigitis. Omnia in rem Patriæ ut faustissimum sortiantur eventum, Vos mora nulla retardat. TVAS PRINCEPS CELSISSIME, Varmiensis *Tyara sed In-*

484

su-

405

ſulæ Chełmenſis, & Præmyſlienſis, *quibus à* TE *Digniſſimo Antiſtite & Vigilantiſſimo Paſtore deportari ingens felicitas erat. publicas enarrant curas vocaliùs, quàm quis Stentorea voce loqui poſſet. Ad hanc brevem pagellam in Claromontana Thaumaturga Imagine* Cœli terræq; REGINÆ VIRGINIS BEATISSIMÆ Coronationem *quam Hyacinthinis Roſeiſq; nexuiſti Manibus non deduco.* Curlandiæ *pacificationem atq; totius Poloniæ vix longo ſyllabo numeranda commoda* TE *Authore ſtabilita taceo.* Pantheon *hoc ſolùm, quod PRÆSVLEIS conſecraſti Manibus, rudi delineatum Minerva,* CELSISSIMO Nomini Honoriq; TVO *dico, dumq; Magnis Meritis Eminentiſſimos quantocyus in ſummum Decus & præſidium Patriæ exopto Titulos, mihi hunc relinquo; quòd profundiſſima veneratione ſim.*

ILLVSTRISSIMÆ
Celſitudinis Veſtræ.

Mancipatiſſimus Cliens,

M. MICHAEL AWEDYK, Philoſ. Doctor & Profeſſor.

PANEGYRICUS



Dmirandam operum Majestatem, à tot labentibus temporum intervallis, hactenus in primo prædicamento decrepitus posuerat Orbis, nunc tandem cùm inter undiq; ruentia viduatus versetur funera, solas in se noscit favillas. Magnificum quippe omne rebus in humanis & ingens, cùm ad stuporem assurgat sæculorum opus, in illam calamitatum sæpè venit cariem, sub qua sui lugens occasum, etiàm per lacrymarum diluvium, à tot cineribus contractas maculas abluere, & ex profunda oblivionis abysso cum oriente serenius oriri Sole, non ejus opis & virium est. Innata omninò summis operibus ruina, cùm ad favillas reducere omnia, illi consentaneum, etiam tremendas lapsu suo moles, molli æquat cineri, exindè & operi ignonimiam, & ejus Authoribus gravem linquendo dolorem. Solus sacer labor, quem affines gratiarum Camenæ Heli-

conio affundunt rore; omnia fatô eripit, in immenſa duraturus ſæcula, Fundatorum ſuorum ampliaturus Nomina, omnem deniq; felicitatem ſignaturus. Habent ſuum victuræ Cedri fas mortale, & excelsîs ſuffulta columnîs, Parîjſq; radiantia marmoribus alta rerum miracula ſicuti materia, mortalià ſunt, & uti Orbes Cælorum aſſiduæ vertigini, ita profana mundi hujus decora, caſuum & fortunæ viciſſitudini ſubjacent. Non deeſt etiam ſupremis ædibus ſuum ſenium, non deeſt ex vano ad immortalitatem extructis operibus ſuum fatum, imò quæ ære finguntur ſtupendæ effigies, & prægrandes pro Iove lapides, Saturno tempore conſumuntur. Quæ ex arcano ſæculorum provenêre & miras rapuere mentes, favillarum montibûs teguntur; id nonniſi ad augmentum felicitatis habentia, quòd aliquando ſtetere. Septena Orbis Vniverſi miracula, ſeptena ludibria ſunt, quæ cum faſtus ſui in cinere agant pænitentiam, in loco ubi fuere quæruntur. Ad exceſſum gloriæ ſuæ cum aſſurgant, quò magîs ſpe evanida in altum eluctantur, eò majorem caſum ſentiunt, per tot annorum myriades magno cum labore ſurgendo, uno momento cadunt & nulla veſtigia

ha

habent præter rudera. Magnificentiſſimum ducentorum anorum opus Epheſinæ Dianæ templum non hic innuo, ſupra quod etſi tot deſudarunt ſæcula, una ignis ſcintilla, nec fumigantes, parietes, nec ambuſtos dereliquit titiones. Quæ ruinæ in ſpolium ceſſerunt, cadunt calami ſub oſtrum, exinde ad credendum admittenda, quòd ſuîs caſibûs benè omnibus nota, miracula dicerem, ſi eaſdem favillas quæ omnibus communes ſunt, non ſubirent. Grande illorum funus vel ideo nominandum, quòd grandiora ad ſe trahat opera, nihil apertum degens, dùm in abyſſo ruinarum jaceat, ad ſæculorum memoriam, vel cinerem ſpectatoribus vel reliquias ſuis linquendo indagatoribus. Inter hæc quæ Orbis pro parte felicitatis ſuæ adoravit, augmenta videamus dolorum; nihil enim ſtabile, nihil perenne, cùm graviores relinquant caſus, ad illas cor omnium movent preſſuras, ut quantum ex illis habueramus lætitiæ, tanto plùs ſpectemus doloris. Si ad aſſem fortunam expendimus ut magnificas ſpectemus Ædes, eſcam ruinæ, ludibrium futuris paramus ſæculis; majora non inquirentes: ne majoris facti participes mæroris, ultra metã proceſſuri, Iſtchmũ

489 & Propontidem ſentiamus. Cadunt in abyſſum oblivionis illæ moles, quæ ut affatim ſcrutarentur abyſſales expoſcebant mentes, & opera quæ millenis erigebantur manibûs, uno temporis edacis arroſa dente, ſuas deflent ruinas, etiam ex luctuum Oceano, ampliùs non emerſura. Quot Regna, tot ampliſſimas veneranda vetuſtas numeravit ædes, nunc ruinarum domicilia factæ, poſteris magnam admirationem relinqvunt, non quòd ſuperbè ſteterunt, ſed quòd iniquè fatis in ſpolium ceſſerunt. Eminebant ad invidiam aliorum, ſed non diuturnam, in Iovis Ammonis Fano centum diſtinctæ aræ, meliori flamma ſacrati ardebant ignes, nec ſcintilla tamen ejusmodi ſupereſt, quæ ad veſtigium ſaltim ardeat in favillis. Ad Ortum & Occaſum illuſtriori reſplendens coma præcelſum Mauſoli ſepulchrum, propter oblivionem ſibi factum ſepulchrum: Sola opera, quæ Charites magnificant, Veroq; ex pio affectu ædificant Numini, etſi labentibûs annîs, oblivione apud poſteros non ſeneſcunt, imò inter rerum diſpendia, magis dilatantur. Ad perennaturæ vectigal gloriæ, etiam triumphalibûs repleta laureîs Capitolia parvi ſunt, ubi Triumphatori DEO Sa-

cræ exſtruuntur Ædes Obeliſci & Cælo minantes coloſſi etſi pretioſis adornati lapillîs erubeſcunt, ubi meliori metallo, Sanctorum ſplendent altaria, per immenſum fulgorem ſuum extractura. Vanis Numininibus exſtructa Fana profana ſunt, ubi Vero Numini nova exſtruuntur Sacraria. Inter hæc quæ Orbis miracula eſſe cenſet, illud eſt, quod à fundamento humilitatis, Aſtris piè æmulum ſurgit, *TVA* verè Heroica liberalitate in altum promovente *Illuſtriſſime CANCELLARIE*, ut Æterno Numini reſplendeant altaria, aurum addis, Diviniores Aras non oras tantùm ſed & ornas, æquè ore ac manu devotus. Baſilicum opus eſt quod *TV MAGNVS IOANNES* pia Dexterâ Regi Regum à primo exſtruxiſti lapide, id maximum felicitatis autumans eſſe pignus, has Ædes, quarum ex liberali fundatione Author, Auſpex, & perfectio es Conſecrationi admoviſſe. Et certe noviſſima hæc ædificationis baſilica eam vel maximè in ſe admirabilem præfert novitatem, quod Eidem Dexteræ *TVÆ* principium & conſumationem debeat. Non in abdito enim ſors ea eſt, ut etiam læthale frigus, fervida intentione conceptas intercipiat moles, & ante-

quàm consumato operi debiti plausuum accendantur, ignes consumuntur & extingvuntur, raro aut nunquam ex oblivione, more Phœnicis surrecturæ. *TIBI Illustrissime Regni CANCELLARIE* non communis felicitas data est; Qui ita in admirandis operibus divinitus prosperaris, ut facienda constanter intendas, fortiter inchoes, & ocyus ad universorum admirationem perficias. Extruunt *TIBI* novum Capitolium Seraphicæ Sanctæ Matris THERESSIÆ Vestales, quarum *TV* Matri novum extra Romam Pantheon Regali penè sumptu fundasti, erexisti. Accendunt in Ara munificentiæ *TVÆ*, omne in ævum arsuros gratitudinis ignes, & sicuti erga *TE* suum Maximum Fundatorem, ita & erga vitæ & munificentiæ *Illustrissimam Consortem TVAM*, pijs semper ardent votîs. Subintro devotâ veneratione hoc Sanctum Veri Numinis quia DEI Ter Optimi Maximi, quod erexisti Pantheon; Elianîs ignibûs *Clarissimum, Gentilitijs ROSIS TVIS* florentissimum, audeo sæculis commendare. Permittes solùm rudiori Minervæ umbram saltim Tuorum rectèfactorum insequi, & reverenti delineare calamo, *Illustrissime*

 CAN-

CANCELLARIÆ, ſimulq; Auguſtos *Do-* 492
mûs Celſiſſimæ Poſtes, vel à longe liceat ve-
nerari.

GEntium Orbiſq; Domina, ſeptem colli-
bus alta, vetuſtior Roma; inter tot Divis
exſtructa Sacraria, quòd Pantheon ad in-
crementum ſuæ felicitatis habuerit, fides An-
nalium eſt. Grande hoc Deorum ſimula-
crum, dùm liberali exſtructum dextera, ſupra
Capitolinas ſurrexerat quercus, hæc ex illo ad-
futurorum eventum ſumebantur oracula, quæ
nec à fatidico ex Helicone Apolline, nec ex
Dodona Sylva habebantur. Si nobis Aras
ſpectare licet, Marti, Iunoni, totum dicatum
Templum, ideò non niſi unanimî omnium
conſenſu, ad memoriam tranſmittendum,
quod ſæculorum unio factum; ſed ad excel-
ſi operis architecturam ſpectator non deſcen-
do, cujus ebur nitidum faſtigia ſumma tegebat,
ſatis mihi eſt, profanis Numinibus antehac
fanum fuiſſe, nunc Sacrarium. Quidquid ſit
Quirinos non luſtro colles, domi incola, ſancti-
us extra Romam PANTHEON quod Verò
Numini ex immenſa liberalitate *TVA Illu-
ſtriſſime Regni CANCELLARIÆ* fun-

dasti veneror. Illud Iunoni & Marti superstitiosus Fundator dicavit Agrippa; *TV* Sanctiori Iunoni Sanctæ Matri THERESSIÆ, & Cælestium Castrorum signato Heroi Divo IOANNI à CRVCE erexisti, hoc inter omnes felicissimus, quòd ipsa devincas Astra, Astris digna exstruendo. Si in *TE* animi generositatem, Heroicumq; investigare intendo robur, hæc non tantùm à Majoribus Tuis relicta tenes, sed reddis majora, posteris invidiam relicturus. Mille honorum Nomina non voco, dùm *TE* undiq; circumstant Purpuræ, in Senatu Lechico Consus Purpuratus, in castris Achilles trabæatus, in exstruendis DEO aris plusquam Eneas es. Quocunq; gressum moves, ubiq; erigis hostibus monumenta, Patriæ trophæa, liberalem Dexteram nemini subtrahis, ut *TIBI* Numina trahas. Beneficentiæ assvetus geniô, omnem Titi gloriam non tantùm exhausisti, sed etiam exsuperasti, adeo: ut nec momentum amiseris, ubi Titus diem. Magna aliquando exhauriri flumina, & Ægyptiacum multoties sitijsse Nylum, docuit experientia, *TVAM* Munificentiam profusione crescere, quis non videt? inter tot Basilica exstructa opera, hoc alienam excellis emi-

nen.

nentiam, quòd post tot amplissimos in Orbe Sarmatico titulos, etiam Templorum emineas Fundator. Ad incrementum beatæ sortis, pares assurgere gratias, pulchrum est; *TIBI* nullus sublimior apex, nulla major poterat evenire majestas, quàm adhuc in terris, & jam sibi Cælos addictos habere. Assurgit in novos Polonia plausus, dum pia manu erectæ surgunt ad superos Aræ, altera Roma Regni hujus Metropolis Cracovia, ob gaudiorum exultat magnitudinem, ubi novum PANTHEON, sacris inclusum parietibus, non tantùm contemplatur, verùm etiam per Consecratricem Dexteram, Vero Numini dicatum veneratur. Non suffecit Munificentiæ *TVÆ* Divorum pulvinaria sat augusta instruere majestate; ni etiàm ad cultum DEI & Sanctorum Ejus nova exstruere Sacraria, Tuum esset. Induxisti Religiosam Gracianis Incolis Coloniam, ut meliores omnibus arriderent successus, ex Olympo desumptam dicerem, si ex Carmelo non nossem. Affinis ipsi Cælo Sacra hæc vel ideò nominanda Religio, quòd etiam suis ornata syderibûs, illo coruscat fulgore, quô ipsos Soles æmulatur. In Romano PANTHEO semper novæ immolabantur

victimæ ſuæq; ardebant flammæ, *TV Illuſtriſſime Regni CANCELLARIE*, quot Seraphicæ Matris THERESSIÆ in hac Fundatione *TVA* numeras Veſtales, tot crede Aras, in quibus affectus ad victimam datur, et Æternus gratitudinis ignis, erga *TE* liberaliſſimum Fundatorem, magìs ac magìs exardeſcit. Non eſt certè humani ingenij ea concipere, aut calami, dare ſub Orbis aſpectum, quæ *TVA* fecit Fundatrix pietas, ſufficit ipſa ſibi admiratio, imò nec iſta ſufficit, cum eam ſuperaveris, docueriſve, modum ibi non habere, ubi res incomparabilis, modum omnem exceſſit. Et quoniam intra hodiernæ Conſecrationis Encenia, etiam de Simulacris in Romano PANTHEO nobis mentio irrepſerat, liceat ſaltim reverenti calamo, Iunoni dicatam innuere Aram; ſublimibûs alta columnis, ut ſummam gravitatem haberet, etiàm ſvaveolentibûs recreabatur *ROSIS*, quas poſtquam in ſui ſumpſerit coronamentum, majores Romano populo favores cumulavit: horum ſit penes Authorum fides, ne autem longius indagatrix ad ſpectaculum abeat pupilla, Virginem THERESSIAM Sanctiorem Iunonem, Religionis Carmelitanæ Reforma-

tri-

tricem, vitæ beatæ exemplar, & perfectionem, videat ſimulq; veneretur. Si in vertice THERESSIÆ ſimilem quærimus coronam, Principes *SZEMBECIORVM ROSÆ* ſunt, quæ non tantùm uni, verùm etiam omnibus Superis in amæniora revireſcunt florilegia. Adamata à tot annorum luſtris Domui *Celſiſſimæ Carmelitana Religio*, cùm eminentioribus repleta gratijs, Hoſpitem in Ejus egit ædibus, nunc domeſtica facta, fauſtum contraxit domicilium. Communis Orbis Lechici applauſus, ſonantia in univerſum populi vota, *TIBI Magno CANCELLARIO* dùm nova ex cordium intimis erigunt ſimulacra, illud cum omnimoda fatentur reverentia quòd pars magna Numinis *TIBI* in animo ſit, Qui Æterno Numini, Baſilicum ædificaſti opus. Moves cunctorum mentes in ſtuporem, ex incomparabili liberalitate *TVA Fundator Maxime.* Qui immenſa exantlas, intra illud præterlabentis temporis ſpatium, quod alijs ad primos cogitationis impetus, non tantùm nimis breve, ſed impoſſibile videtur. Scit perbellè Orbis *Celſiſſimæ Domui Veſtræ* primæ magnitudinis Sydera non deeſſe, non Eum latent ſplen-

didæ Heroicorum operum virtutes, quas in natas habetis, etiam Carmelus ſua hodiè accendit aſtra, ut facilior Oratori acceſſus ad Majeſtatem veſtram præbeatur. Vocalis fama ultra Tarpeios divulgata montes, illos Vos eſſe perhibet, in quibus, nihil parvum, nihil mediocre, omne ingens, omne ſtupendum natura obfirmavit. Monſtraſtis ſat apertè Orbi, quid Veſtri valeant humeri, & vix cum Nominis magnitudine erupiſtis, protinus mortalium animos in admirationem deduxiſtis. Sagô & Togâ celeberrimi, omnium deniq; magnificorum operum Hæredes primi.

Eadem plurimis communis intentiò eſt, ad Gentis ſuæ gloriam illos celebrare Atavos, quos cum fabulis formavit Promætheus & Phæbi radiô animavit; alij ad ampliorem laudis materiem, etſi non ſuos norunt ampliare titulos, *Celſiſſima Domus Veſtra*, à prima Origine ſemper magna, ſemper Orbi Clara, hoc vel maximê dotata, quòd innumerîs ſuis virtutibus maximos exceſſerit, ſuperaverit. Habet ſuum valorem & æſtimationem aurum licet non lateat unde eruatur. Soli radius non ſubtrahitur, licet ortũ ejus videamus, Majores Veſtri illi ſunt, Quorum præcelſa facinora cum

Or-

Orbis capere non potuerat, virtutes Cœlis intulerunt. Sub magno Imperatore *CAROLO* magnorũ ſeminarium Virorum aſſurrexit, & benè eſt, ita enim decuit illo ſuũ extendente Dominiũ *SZEMBECIAM* creſcere gentẽ, qui magnarũ virtutum æſtimator, Eam ſummoperè adamaſſet. Primus mihi, ſed cum ſumma magnitudine dicendus obvenit *Illuſtriſſimus Gerlacus* de *ſchonbek*, Veſtræ Domus Apex, Veſtrarum Venarum Princeps ſangvis, qui poſtqvam omne titulorum exhauſit altum, omne ſublimitatis emerſus profundum, ut ad incrementum ſuæ dignitatis ſtetiſſet, in Gradivi progreſſus campum, vel ſolo terrore pugnaturus. Ceſſit ad coronamentum Cæſarei Capitis non una Ejus fortitudine exciſſa laurus, ut felix Triumphator *CAROLVS* gloriæ ſuæ ingrederetur Capitolium, non unã cruento hoſti eripuit palmam, exinde ſibi gloriæ ſimulacra, Vobis grande decus relinquendo. Magnetem Illi pro anima fuiſſe multi dixere, quòd etiam ferreos hoſtium animos, traxerit ad ſui enſis victoriam, exinde autem credite magno ore ſonandum, quòd Vir fuerit ex toto aureus. Profuſo in cruenta Gradivi acie de hoſtibus cruore, dùm ad mentem Im-

peratoris tot triumphalibus adornatus venerat corymbîs, inter hæc quæ pro innumeris victorijs receperat, *ROSARVM* Ternione coronatus. Ad *ROSAS* quòd ſuæ devenerint *CAPELLÆ*, has amor erga Principes, & immenſa dedit dexteritas. Infert maiorem ſtuporem MAXIMILIANVS Imperator, qui dùm eas per ardua montium inſequeretur iuga, illud devenit ad periculum, in quo fatali caſu iam perimendus erat, ni Illi *PETRVS SZEMBECIVS*, fortitudinis Petra ſolidiſſima, ſubveniſſet. Ceſſerunt fato à *PETRI* gladio ſalientes Capellæ, quæ Imperatoris fatum volebant; cùm nova MAXIMILIANO redijt vita, ſummo *SZEMBECIOS* proſecutus amore, *ROSIS* cumulavit *CAPELLAS*. Divulgata per ſingulas Europæ gentes *SZEMBECII* Nominis Majeſtas, cùm rariores virtutes ſuas Orbi viſendas demonſtravit, invidiam accendit. Fervebant ſuis deſideriîs ad amplectendum *SZEMBECIOS* tot Provinciæ, ut eis cum Illorum *ROSIS*, omnis refloreſcat fortuna, Poſcebat retinendos Germania, Gallia, ad liliorum ornamentum Principes expoſtulavit *ROSAS*, Ampli Pruſſiæ fines ut incrementum gaudio-

rum ex Illorum deſumerent *CAPELLIS*, 500.
deſideria exprobrarunt. Quibus ad placitum ſua evenêre vota, omnia noſtra Polonia ſuperavit. Huc lynces adeſte pupillæ, videte, etiam Sarmatarum Gentem, non tantùm fortes gignere, ſed etiam & adaptare poſſe. Advertit in *SZEMBECIIS* Principem animum ſemperq; magnîs dignum honoribus Polonus Arbiter, ingeniorum Æſtimaror, AVGVSTVS I. qui ut Illos primos ad quævis alta faceret Candidatos, inter Indigenas numeravit, illoque *Domum Illuſtriſſimam* proſecutus amore, quô magìs ſuum Epheſtionem non poterat Alexander. Ivere cito paſſu, etiam per mille rerum diſcrimina, daturi iugulum, ne Polona felicitas iugo premeretur. Fulgorem gladij quoties hoſtilibus monſtrarunt caſtris, toties ad complementum gloriæ, triumphales adoreas receperunt. Agebant ſemper non ſpectabant bella, nunquã ſua, ſemper Patriæ vulnera ſentientes, quam adeo ſibi obligatam fecere, ut quidquid inſe habeat; totum Triumphatrici illorum adſcribat Dexteræ.

Gaudet ſuo Roma Curtio, qui abyſſum hiantis non horruit ingredi ſoli, ut in ſolido Quirinam felicitatem videret fundamento.

Hectores non iactet Græcia, Regna ſuos ta-
ceant Hercules, dûm & in noſtra Polonia Ma-
jores ſunt Duces *SZEMBECII*, Qui pro
Regni integritate, non tantùm decertare, ſed
& occumbere parati. Innatus Illis bellandi
amor, innatus pro Patria zelus, ſemper aliquid
majus accendit, per quod ad diem Purpure-
am ſereniùs oriantur. Patent ubiq; Magni Il-
lus *ZAMOSCII*, ad immortalitatē tranſ-
miſſa fortitudinis ſimulacra, cui etiam *SZEM-
BECIAM* virtutem ut in caſtris coadjutri-
cem, ita & inter trophæa ſociam veneramur.
Non nocuëre *ROSIS* ſtridentes ab Aquilone
procellæ, plumbeus Eas non violavit grando,
nec etiam Gothici conſpectum Leonis au-
dentes timuere *CAPELLÆ*, in quibus ve-
riori quadam metamorphoſi, omnis magnani-
mitas, ſuum repoſuit domicilium. Surgit ad
Veſtrum deprædicandum Nomen de fatali-
bus cineribus Ille invictus *Litchvaniæ Gra-
divus CHODKIEVICIVS*, Qui ſemper
unanimem in Vobis animum vincendi & tri-
umphandi advertit. Quippe, nullos Patria
ſenſit hoſtes, quin vos ſuos ſenſiſſet Defenſores,
Qui id unum intenditis, ut cum Ternione
ROSARVM Veſtrarum, Majus Poloniæ re-
flo-

florescat. Non innuo tot fortissimos ex hac *Illustrissima Domo* Alcidas, audaces huc non voco Scipiadas, ne magnitudine virtutum obrui videar, sufficit mihi quòd ad Vestram dexteritatem abundè omnibus demonstrandam, Cæsarum Oratores, aut Cæsares Oratorum ut assurgant, est necessum. Debilior enim pagina Illorum non sufficit apotheosi, Qui ad omnia sufficientes Boni publici numerantur conservatores. Arduum in castris laborem, prolixo non recensemus syllabô, ubi Illorum meritis, vix Orbis mappam sufficere advertamus. Post tot sudoriferos imbres, venerunt ad delicias Serenissimis Regum Poloniæ Majestatibus *SZEMBECIÆ ROSÆ*, Quas propter virtutum & dexteritatis odorem, in Regiæ decus Aulæ, provocarunt. Dederunt maxima testimonia de *SZEMBECIORVM* virtute; SIGISMVNDVS III. & VLADISLAVS IV. Qui tam addictos se huic *Domui* præstitêre, ut etiam inter tot victrices laurus *SZEMBECIAS* annecti *ROSAS*, sint gavisi. Stupeat hìc Orbis, quòd posthuma ad immortalitatem transmittit ætas, non uni Monarchæ, innatum erga *Celsissimam Domum* hanc favorem, quô in al-

tum honoris eſt erecta. Steterunt in Manipulo IAGELLONICO eximium Decus *ROSÆ* ad KORYBVTHEAM MICHAELIS Cynthiam, adeò omnibus in ſolamen viruêre, ut etiam inſuperabiles IOANNIS III. Triumphos, & diſtrictos Sereniſſimi AVGVSTI II. Gladios, ſuo candore adornarint. Victricem ergo *Domum* Veſtram, ex Æqveſtri ordine, ad Senatoriam Invictiſſimus olim IOANNES deduxit dignitatem, ut videant Posteri *SZEMBECIOS*, ad magna ſemper eſſe natos.

Alta honorum poſſidere cacumina, & in augem Senatorij venire culminis, uti magnanimæ virtutis ſpecimen, ita non poſtremæ felicitatis incrementum. Non priùs etenim Caput Orbis Roma, Senatorias ſuis incolis offerebat Fasces, donec de Martiali campo, non unum laurearum tuliſſent faſciculum, nec Togâ illorum ornabat lacertos, qui inter decumanas bellorum clades, Bonum Patriæ non portaſſent. Feliciori *SZEMBECII* proceſſere paſſu, Quibus dignitatum fructus, non otioſis venêre. Decuit enim ut Purpuras in foro pacis legerent, qui ſangvinem in Gradivi campis ſeminarunt.

Post

Post tot Heroica facinora quæ in *SZEMBECIIS* Orbis miratus est, prodromantibus gratijs IOANNIS III. PARENS *TVVS Illustrissimus, Illustrissime CANCELLARIE*, ad pridem sibi debitã Sanocensem, mox Camænecensem progressus Curulem. Et merito: nam ante honorem Senatorium, majestate vultûs, Statûs peritia, insigni prudentiâ, serviendoq; promovendi boni publici zelô: Senatoris optimi effigiem *FRANCISCVS* præferebat. Fulmen hostium videbatur, Qui ut Patria staret, suo acinace non unũ hostem cadere fecit. Tremuêre Vandali, ingemuêre Borussi, quoties *FRANCISCVM* in acie adverterunt, Qui à vultu mille castrorum Duces, mille Gradivos circumtulit, cùm confligeret. Collapsæ spes Patriæ, qvoties ultra Borysthenem Victorem ensem, ipsumq; invitarùnt Virum; toties mæsta Thracia, ad pullam protracta, alatum ensem dixit, sed graviorem ferrô per cædes numeravit, quoties galeam induit, toties hostem vitâ exuit, hoc clarissimus, quòd inter magnos maximus, ìnter fortes fortissimus foret. Post tot percelebres triumphos, everso hoste, Triumphatori *DEO* erexit Aras: & qui non unã de Bellonæ campis recepit coronam,

Ternione *ROSARVM*, Reginam Cæli MARIAM, Zielenecijs in nova Ædium ſtructura, coronavit. Sat pulchræ ex virtutum florilegio *ROSÆ*, ut etiam cum CASIMIRI Lilijs, videantur eminentiores; eaſdem ex liberali ſundatione ſua, copulavit. Hìc ſtupor, hìc non tantùm nobis, ſed & poſteris ſumma datur admiratio, cùm pia quadam æmulatione, *Magne Regni CANCELLARIE*, *Illuſtriſſimum* ſequaris PARENTEM. Ille Reformatam D. FRANCISCI Religionem, ad Craciam induxit Vrbem, *TV* Fundatorum Prodromus *IOANNES*, Reformatricis Carmeli, D. THERESSIÆ Filias, non tantùm in magnificentiſſimum Monaſterium intromittis, verùm etiã & illarũ, Ædes conſecrationi admoves. A primis incunabulis, tam ſupremum erga *DEVM* & Superos habuiſti animum, quo etiam plurimi, licet bonorum caſibus præſtolentur, caruêre viſi. Baſilica exſtruere opera, intendunt alij, intenta, perficiunt alij; *TV* quidquid intendiſti, eo paſſu & perfectioni demandaſti, ſemper etiam intra domeſticos limites, Templorum à *TE* fundandorum imaginem obſervando. Inſiſtebas fundamentis, ſed non fine fundamento: quotidie

majus aliquid intercipiens, ut ſupra humanum captum promineres. Illam virtutum cepiſti magnitudinem, quam Catones poſtularent & Invicti deſiderarent Camilli. Tacuiſti iner faſcias Infans, ut poſthac inter Faſces Os Regum & Regni Oraculum videreris. Creſcebas, ſed magìs virtute quàm annis, id tamen recenti tenendo memoria, ut *DEO* Sacrarium, & ibi Domui Celſiſſimæ Aram, ad poſterorum memoriam tranſmitteres. Supra ſpem & vota bene *TIBI* optantiũ proceſſiſti, & Qui optimus ſperabaris, optimìs Melior evaſiſti. Eam Natorum indolem, pluries humanus advertit oculus, quæ quidquid in ſuis Parentibus ſive laudabile, ſive probum ſpectet; ad incrementum percipiat, erga Superos Majorum Tuorum videns devotam mentem, ijſdem animum conſecraſtti, & adeo glorioſa Patrum ſecutus es veſtigia, ut omnẽ Illorũ laudẽ non tantũ exhauſeris, verùm etiã nõ poſtremus operũ evaſeris, obſervator. Cara Divorum Propago, vitæ beatæ Parens Sapientia, cum à Superum commercio ad mortalium deſcenederat conſortium, apud aliòs hoſpitẽ egit, Domui *TVÆ* inquilina eſt *Magnæ Regni CANCELLARIÆ* Ad prælia cum

Ducibus, ad conſilia cum Licurgis procedendo, per quam à rerum experientia & cappaci ad quævis animo probantur maximi. Vt Domûs Celſiſsimæ Decori, Patriæ providiſſes libertati, innocuas petijſti Muſas, inter quas ſtuporfactus, omnes in Tui venerationem duxiſti. Campus *TIBI* erat ſed ſemper floridus in arena Literaria, qui uti amænitatem, ita & ſuum Decus Tibi debet. Olympico greſſu ad illud punctum profectus deveniſti, ad quod alijs non tantùm arduum, ſed & impoſsibile. Inſtillavit Pallas ori *TVO* Eloquentiam, Pectus implevit amore, omne ſummum ſociavit, ut ſi *TE* Muſæ IOANNEM non noviſſent, Apollinem, adoraſſent. Hauſto ſapientiæ lumine, è Cœlo Patrio alienum fauſtus proceſſiſti in Orbem, non tantùm eundem luſtraturus, ſed pariter & illuſtraturus. Excepit venientem IOANNEM magno cum plauſu peregrinum ſolum, & cùm Illi nihil eruditionis addere poterat, dum ipſos etiam ſuperaret eruditiſsimos, in magnarum virtutum venerationem cadere debuit. Inter Galliarum Lilia, Polonum ſervando candorem, optimè omnibus oluit, indignatus ijs, qui quò plures ventos captant, & ampliora percurrunt

Re-

Regna, omnem boni nominis perdunt odorem. Patuit in Latio ſat lata Nominis Ejus Majeſtas, quam cùm plurimi ſtupuêre, ex raritate dotum Phænicem nuncuparunt. Redeunt alij ad domeſticos limites ingenijs leves, expenſis graves: *TIBI* contrarium ſervit. Reliquiſti apud exteros *TVI* amorem, in Tyberi aut Sequana redux, Patrios non merſiſti mores, Legum integerrimum amorem, Conſcientiæ illibatum candorẽ reduxiſti, nihil ibi relinqvendo, præter ingentem famæ ſuæ magnificentiam. Ebibunt alij Gentis vitia cum undis, mutant mores Patrios cum terris, & veluti ad honoris ſui dedecora iviſſent, aut Scythas revehunt pro Lechis, áut molles Sybaritas pro Polonis, *Magnus Regni CANCELLARIVS* extra Regni Sydera eundo, illam lucẽ inviſit, quæ accenderet, & non adureret Sanctimoniam. Dedit omnibus in admirationem, quid valeant vaſta Polonorum ingenia, quomodo caleant, doctamq; calleant Minervam. Redijt tandem ab exteris unicus Patriæ amor, nullibi feliciùs greſſum poſiturus, quam in Regia; ad prima rectefactorum veſtigia relinquenda. Poſt tot ampla viſitata Regna ampliſſimi Illi offerebantur tituli,

nisi pedem insedisset modestia, svasissetq; pro animi magnitudine, sat Ei apertum esse honorum campum. Exacto itaq; egregiorum factorum tramite, quo ad Celsissima dignitatum proceditur culmina, stetit in puncto hoc *Magnus Regni CANCELLARIUS*, ubi non tantùm Sarmatiæ, verùm etiam & totius Europæ in se convertit oculòs. Stupuère tot Provinciæ Roseam oris Ejus affabilitatem, mirati exteri summam prudentiam & in Regem affectum, nullusq; inveniebatùr talis, qui Illi suam non daret æstimationem. Missis aliorum honorum culminibûs, munus Regni *PROCANCELLARIATUS* adeo benè obijt, ut etiam omnibus titulîs absolutus maneret. Hìc *Celsissimæ Domus SZEMBECIORUM* Majestas, per Magnum aucta *CANCELLARIUM*; etiam Gemmæ Regum, Serenissimo ad placitum venit AUGUSTO II. Sane orta est cum *Magno Regni CANCELLARIO* Poloniæ felicitas, cum *ROSIS* ornamentum, cum *IOANNE* mille Charites. Solers prudentia, elegans ad omnia rerum compositio, primò Magnum esse demonstrârunt; Qui pro *Celsissima Domo Sua*; unus omnibus ad memorandum suffecisset

510

ſet. Quæ Panegyris Tuum erga fidem capiet zelum, quem ſummus Pontifex BENEDICTVS XIII. laudavit, licet Brevi Apoſtolico, tamen *TIBI Magne CANCELLARIE*, hoc elogium expreſſit, quod nulla oblivione poterit arctari.

Primum *Illuſtriſſimæ Proſapiæ Tuæ* adventum dùm cum omnimoda contemplor reverentia, ſemper mihi majùs aliquid ſupereſt, querenduſve Vobis non tantùm Orbis alter, verùm etiam & aliud ingeniorum clyma. Exhauſiſtis omne laudum Veſtrarum profundum, Phæbo Sacrata pectora in admirationem duxiſtis, nulluſq; ſupereſt, qui Vobis debitos non formet plauſus. Fama Veſtra adeo in ſublime elata, ut etiam immortali calamô attingi nequeat. Non tantùm in admirationem verũ etiàm & in amorẽ corda Vobis duxiſtis Principum, ut quot in Orbe Lechico numeravimus Ioves, tot Vobis Epheſtionibus addictos Alexandros. Miratus eſt in Vobis erga Patriam affectum *Sereniſſimus & Invictiſſimus* AVGVSTVS II. Regũ noſtri ſæculi Phænix, & poſtquam vobis cordis ſui aperuit repagula, ſimul honorum admovit culmina, ut Patria Decus, hoſtis Decios veneretur. Et

G me-

meritò non potuit bono publico meliùs providere fortuna, quàm *SZEMBECIOS*, quorum magna Nomina, ad liberi Regni tutelam ſufficiunt. Extra ſtateram penè Eorum pondus eſt, ut etiam de ultimis finibus terræ, fruſtra addamus pretia. Quot videmus *SZEMBECIOS*, tot Principes veneramur, Qui omne primum, nihil poſtremum agunt.

Adeſt poſt fata ſuperſtes, in ſuis operibus omne victurus ævum *Celſiſſimus* olim *Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus, D. STANISLAVS* in Słupow *SZEMBEK*, ARCHIEPISCOPUS GNESNENSIS, Legatus Natus, Primusq; Poloniæ *PRINCEPS*, cujus rectegeſta quoties Muſa canere intendit, toties illam arcet timor, ne tanto Nomini impar, Phaetonteum agnoſcat lapſum. Totâ vitâ nihil mortale egit, niſi quòd moreretur. Vixit ad amorem Patriæ, ad Decus Senatûs, ad Honorem Familiæ, alter talis vel ſimilis, diu poſt obitum deſiderandus. Quidquid geſſit, Principe loco reponendum, quidquid fecit, etiam inter Baſilica, opera primum erat. Exactiſſimam virtutum Ideam quicunq; ſpectare voluit, in magno Primate principaliſſimam advertit. Admirandum ac penè Divinum in-

ge-

genium quod plurimi ſtupuere, celebrium Eccleſiæ Patrũ monſtravit eſſe Prothotypum, qui nihil amplius intendebat, niſi Polonæ ſuccurrere libertati, & Patrem Patriæ agere. Inter tot rerum diſpendia, ſemper firmus; inter reboantia Mavortis claſſica nunquã timidus, molem Eccleſiæ ſuſtentavit verior Athlas, ſed ſine auxiliò Herculis. In debacchantibus Gradivi turbinibus, quanta Conſtantia & animi firmitudo, in dandis conſilijs quanta ſinceritas, alios aurum ſudurmanicum, ferrum minax diſtraxit alios, nova factio aut odium avulſit, *PRINCEPS STANISLAVS*, ut Regi & libertati fidem conſervaret, marpeſia cautes, & grande firmamentum extitit. Vidêre erat pium erga Superos animum, vidêre quomodo liberali dextera Divorum ornabantur Altaria, Sacræ Ædes, aliæ Reſtauratorem, aliæ Fundatorem agnoſcebant, ſingulæ Protectorem venerabantur. Plura virtutum ſpecimina ſi ſcire deſideramus, Orbis loquatur Sarmaticus, dum ob illarum magnitudinem tacet Orator.

Evolat de fatali tumulo in Orbem univerſum fama *Illuſtriſſimi* olim *&* *Reverendiſſimi Domini*, *D. MICHAELIS* in Słu-

pow *SZEMBEK*, EPISCOPI PAPHENSIS SUFFRAGANENEI & DECANI Cracovienſis, Abbatis Claræ Tumbæ, Qui dum mortali vita exutus remanſit, nobis veſtigia illa reliquit, quæ humanò ingenio concipere, & eminenter omnibus demonſtrare, non noſtrum eſt. Alter, erat poſt Principem, ſed ipſe virtutum Princeps, meritis & magna gloria ſummis par. Paphiä ornatus Tyara, altius Pedum non admiſit ut cuncti mirarentur, ſemper magnum eſſe. Per tot annorum luſtra Suffraganeum agens, etiam virtutum Suffragium fuit, Cracovienſis Capituli Decanus; Decas perfectionum. Omnis Illi gloria erat, amor DEI & amor proximi, omnis conſolatio, Sacraria à fundamentis educere, & egenos de calamitatibus erigere, gloria Ejus ut clariùs pateat *SZEMBECIVS* erat, *MICHAEL* erat, qui poſt quam Orbem famâ ſua repleverit, ad Nomen ampliandum, alium petijt extra orbem.

Excitamus de mortalitatis cineribus, qui ſēper immortalia geſſit. *Illuſtriſſimum* olim *&* *Excellentiſſimum Dominum*, *D. PRÆCLAVM* in Słupow *SZEMBEK*, CASTELLANUM VOYNICENSEM &c. Cujus de hoſtilibus caſtris Triumphi, inter plorantis Poloniæ

ſin-

ſingultus, inter Regnorum lacrymas, ſolatia erant; & tantùm labenti profuêre Patriæ, quantum Macedoniæ Alexander, Romæ Curtius Tranſactis in Campo literario ludis, inter belli luſit Aleas, ſed ſemper laureas reportando. Victorem animum adeò aſperioribus Bellonæ ſtudîjs exercuit, ut nullus Ei hoſtis non vincendus, nullus campus non triumphalis foret. Ipſe Boryſthenes, liburnim Ejus vehit gloriæ, qui proſtratorum Thracum, erubuit ſangvine. Loquatur Vienna, ad quam Magno IOANNI Prodromus, ex tot dignis æterna memoriâ factis, Faſtos Nomine ſuo adornavit, & ſimul victoriarum remanſit compos. Migravit quidem ille poſt vitæ hujus luctam ad Æternitatis Capitolium, ſed in Magno ſuo Filio *Illuſtriſſimo STANISLAO SZEMBEK* CAPITANEO Lelovienſi, vivam effigiem reliquit, Qui ut virtutes Paternas in ſe derivavit, ita facta immortalia æmulatur.

Cado vel in ipſam Nominis reverentiam, *Illuſtriſſimi* olim & *Reverendiſſimi Domini, D. LUDOVICI* in Słupow *SZEMBEK,* Secretarij Regni Majoris, CANONICI Cracovienſis &c. qui primus Secreta Regni ſub *ROSA* cùm recõdidit, illa animi magnitudine pel-

lebat; per quam ſummì tenentur faſces. Sibi debitas fugiebat Infulas, ut ſtuperet Orbis, *LVDOVICVM* libentiùs meruiſſe ſingulas quã tenere. Cracovienſis poſt Varmienſis CANONICUS, Canon integritatis erat, cui dum vita hæc inter mortales diſplicuit, aliàm ſibi invenit meliorem.

Hìc admiratio rapit mentes, etſi jã ex cineribus *Illuſtriſſimi* olim *& Excellentiſſimi Domini*, *D. FRANCISCI* à Słupow *SZEMBEK*, Regni Dapiferi, Gubernatoris BECENSIS, Maxima ille Polonæ felicitatis portio erat, qui à prima juventa nihil cogitavit, quod bono Patriæ non prodeſſet. Vel ex ipſo nomine cui placet metiatur Heroem animum, nulla enim via Illi invia erat, nullus hoſtis invincibilis; ipſum ſe librabat ferrum ipſæ, rotabant haſtæ, calor Mavortius de pectore promicabat, qui non tantùm caput Patriæ conſilijs, pectus Regis Regniq; impendit amoribus, verùm etiam & victricem dexteram, vitæ & Sarmatarum dedit integritati, ut per aliena funera tueretur. Herculi Lechico *Sereniſſimo* AVGVSTO II. Theſeus *FRANCISCVS* erat, qui cum illi Roſas & obſequia obtulerit, Opera immortalia reliquit. Vidit

hunc Cælum magnis decoratum triumphis, & ſtatim invidit, Illumq; ut ad ſui conſolationem haberet, ex lachrymarum valle in Eliſiòs transtulit campos.

Cùm ſuæ Oratori deſunt Panegyres, ſaltim omnimoda Magno Nomini non deſit reverentia, *Celſiſſimi Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini, D. CHRYSTOPHORI JOANNIS* in Słupow *SZEMBEK*, EPISCOPI Varmienſis, DVCIS Sambinenſis. Ille de ſuperis Eccleſia Patria, Rege, meritiſſimus: monſtravit evidentius non ipſa tantùm Heliotropia Hyperionem ſequi verùm etiàm & Roſas Serenitati Regiæ obverſari. Principē locum apud ipſum refert liberalitas, nō tantùm ſummis, ſed etiam & infimis promptiſſima: ſua illi nō deeſt affabilitas, qua nō tantùm ſibi immortalē famam inter mortales conciliavit, verùm etiam & Numina addicta fecit. Si eruditionem ſpectare intendo, laureata eſt, quæ inter docta Certamina, ſat benè eminuit. Felices Laureæ Theologicæ Vniverſitatis Cracovienſis, quòd hoc coronarunt Caput, in quo Orbis totum ſtupet Atheneum. Romanis excultum ſtudîjs ingenium, omne Magnificum, omne ſtupendum indicat, adeo ut ſi ite-

iterum Minervæ, naſci contigiſset; ex Ejus verè erudito Capite Ortum ſuum ducere vellet. Inter Quirinos montes ſcientiarum Vniverſitatem complexus, redijt in noſtram Poloniam, ſed non ſine triumpho. Inclinavit ſuos Carpathus Colles ut redeuntem veneraretur; Sarmatici riſêre campi, ut lætitiam ex Ejus adventu omnes mirarentur, & vix intra limites Patriæ ſtetit, Major Regni Secretarius factus, per magna virtutum documenta, ad majora proceſſit. Diſcrimina inter titulos, pugnas inter Nomina non innuo, dum illis inter faſces certatum eſt votis, quibus & Roma caperetur, & Saguntum. Præpoſitus Miechovienſis inter Crucigeros quos cum omni rexit modeſtia, Heroem animum demonſtravit, & nihil aliud propoſuit quàm DEO & Patriæ integritati vivere. Nullus *TIBI PRINCEPS Celſiſſime* paſſus non de merito in meritum, ut ſemper magnus videreris. Eo pulchriùs floruerunt *Chelmenſes* Tyaratæ violæ, quòd *TE* Roſeum & ſimul laureatum PRÆSVLEM habuerunt. *Zamoſcenſi* Academo, fuit hæc eritq; prima gloria, ſub *TE* Digniſſimo *CANCELLARIO* ſuo, quòd etiam *TVIS* ma-

ni

bus laureæ nectebantur. Post *Chelmensem*, *Præmysliensem* Cathedram, quàm cum summo plausu & Triumpho ingressus es Synodo corroborasti, ne ampliùs caderet; Clerũ reformasti, & in forma debitas *TIBI* fecisti Panegyres. Postquam inter Præmyslienses Incolas, *TE* Gemmam Præsulum pia Musa cecinit, suusq; sparsit rumor; ad Principem ivisti Cathedram, ut eam adornares. Nulla Hæretica labe in fecta Diæcæsis, nulla licentioris vitæ contaminata macula, per *TE* Ducem evasit *CHRYSTOPHORVM*, ut si illam nobis lustrare liceret, Cælestem Coloniam diceremus. Inter illustria opera, quæ Orbi Polono & toti Europæ clarissima sunt, hoc maximè advertendum recensetur, scilicet Claromontanæ VIRGINIS Coronatio, quæ nulli alteri à CLEMENTE XI. concessa, nisi *TIBI PRÆSVLI*, qui integerrimus cùm maneas, pijs semper erga Superos ardes votis. Convertisti in *TE* omnium mentes, alijs stuporem, alijs invidiam reliquendo, non tantùm Polonum, verùm etiam Bohemum, vicinæq; Pannoniæ populum, in *TVI* venerationem duxisti; semperq; in eminenti videberis, utinam brevi *EMINENTISSIMVS*.

 Eri-

Eriguntur *TIBI* immortalis famæ Colossi, qui opera ad immortalitatem porrexisti, Magnis clarus meritis, Patriam pacificasti, & *TIBI* obligatam reddidisti. Testis Curlandia, ad quam Generalis Commissarius, Commissa bene expediendo, sic processisti: ut mirati sint exteri, *TVVM* Principem animum. Darent Superi, si *TVIS* annis superares sæcula, Magne Princeps, semper majora per *TE* felicitatum surgerent incrementa.

Rapit nos ceu per nova prælia in spolium, Acies *Illustrissimi & Excellentissimi Domini, D. ALEXANDRI* in Słupow *SZEMBEK*, Palatini Syradiensis, CAPITANEI Becensis, Radomscensis. Hic summus Reipublicæ Stator, quoties in Senatu perorat, toties gemmas pro verbis mittit. Rosea stat in ore Ejus affabilitas, quæ etiam summis denegata est. Lustravit Italiam, peragravit Galliam, & nullum Regnum Magno Ejus Nomini non Macædonia erat. Plenus in Regem & Patriam meritorum, post tot sublimes honores, Syradiensem conscendit Curulem, ut ultra fines Regnorum Nomen *ALEXANDRI* pateret. Ergo vivat ad decus Prosapiæ, ad fulcrum Patriæ magnus

ALE-

ALEXANDER, ſic ſonant vota Clientum ſic ipſe vovet Senatus. Trahit me altera ex-parte, in ſui reverentiã, Nomen, *Jlluſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini*, *D. FRANCISCI* in Słupow *SZEMBEK*, CASTELLANI Viſlicenſis, in Quo nacta honorem Purpura, ab Ejus ROSIS ſuum deſumpſit candorem, & poſtquam omnibus abſolutum advertit numeris, deſijt in ſtuporem. Quoties Ille calamum ſumpſit, toties hoſtem & omnem calamitatem de Regni finibus proſcripſit. Diviſit illum à vita atrox Libitina, ſed ab immortalibus factis non diviſit; quæ ſemper amore in Patria, faciunt redivivum *FRANCISCVM*.

Flectit ad extrema vota calamum, qui inimicos Fidei Catholicæ Anthæos ad triumphũ flexit· *Jlluſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus*, *CHRYSTOPHORVS ANTONIVS* in Słupow *SZEMBEK* EPISCOPUS Vladiſlavienſis & Pomeraniæ, Cujus ſi ſpecto juſtitiam Ariſtidis eſt, ſi præclara virtutum veſtigia, ejs Camillos & Fabricios ſuperavit. Premit Ille continuis boni publici curis mentem ſuam, ne Patria infelicitatum agnoſcat preſſuras. Religionis Romanæ Baſis firmiſſima, id in prima apprehenſione habet,

ut ubiq; pietas & fides Catholica reflorescat. In Senatu Lechico verba fundit, sed plus quàm Gallicani Herculis sunt, Solem dicerem continuo motu & clarissimis virtutibûs nihil in publico non optimum producentem, si *SZEMBECIVM* non nossem. Aureo itaq; Præsuli, altissimi instruantur Honores, & felices famulentur horæ.

Prodit mentium stupor, ingeniorum prodigium *Illustris: ac Magnificus Dominus, D. ANTONIVS* in Słupow *SZEMBEK*, Succamerarius Cracoviensis &c. Qui illa erga Superos fervet pietate, & tantum erga Patriam seruat amorem, quem Romanus magìs non poterat Scævola. Omnium illum circumstant affectus, & facilè Nobilitatis Princeps est. Nectare sinceritatis illectus, omnibus dulcorem spirat; nemini tamen non addictus. Habet laudũ incrementum ex limitibus, quos mensurat; majus tamen habet, ex Magna Progenie: quæ ad Infulas, Fasces, & Purpuras nata. Primus est *Perillustris & Reverendissimus Dominus, D. JOSEPHVS* in Słupow *SZEMBEK*, CANONICUS Cracoviensis & Varmiensis, Cui præter alia innumera merita, etiam Themis Tribunalitia, non

pri-

pridem Iudici Deputato Præsuleos ponderare honores sua lance exoptat. *Jllustris FRANCISCVS*, CAPITANEUS Tołkmicensis, decus innumeris virtutibus auget, quas novit Curlandia, totumq; Polonum non latent Orbem. Honores etsi fugere vellet, eosdem in vim pænitentiæ sumet. Extra Regni Oras *MARCVS* in castris est, sed per Regni limites Ejus clarũ Nomen, & quòd nullo premetur silentiô, evincent facta. Militat sub Palladis Ægide adhuc *MICHAEL*, & jam animorum Triumphator, qui ideo Literarios excutit pulveres, ut Purpuram sumat mundiorem.

Infert in suas laudes non excurrenti calamo naufragium *Jllustrissimus & Excellentissimus Dominus D. PETRVS* in Słupow *SZEMBEK*, Castellanus Oswiecimensis, &c. &c. Qui fundamentum & Petra solidissima libertatis Polonæ est. Non servat tantùm sed & auget illam, quam Domui invexit gloriam; Castellanus Oswiecimensis, Castellũ inexpugnabile probitatis, quem servent Superi incolumem quàm diutissimè. Loquitur Præmyslia sui Suffraganei *FRANCISCI* adoreas, quæ cũctis apertæ sunt. Religiosæ um-

 bræ

523

bræ, Franciſcanîs, Ælianis, Lojollanis ignibûs ardentes non tegunt lucernas *SZEMBECIOS*, quibus ſic contigit latere, ut prandenti in meridie Soli.

Non tantùm Fraternæ unioni, verùm & omnibus Præcurſorem agis, Magne Regni *CANCELLARIE*, Qui ex immenſa liberalitate *TVA* ſatis gratioſus quia *JOANNES*, etiàm illud PANTHEON, quod Vero ſtruxiſti Numini, perhibes conſecrandum. Ardet in gratis pectoribus æternus gratitudinis ignis quem *TVA* munificentia fovendo auges, & dum cor in Carmeli amorem, Dexteram ad ſecundam quia felicem Monaſterij deflexiſti Fundationem; *TIBI* immortalis gloriæ fundaſti Obeliſcos, & novum Capitolium erexiſti. Poſuiſti futuris admirationem ſæculis quanta in *TE* erga Superos pietas, & quantũ imminenti tempori ex liberali Fundatione fueris Decus *IOANNES*, in æternum factis ſuis victurus, qui æternitati memorandum reliquiſti opus. Ex *Jlluſtriſſima LESZCZYNIORVM DOMO Jlluſtriſſimam* legiſti conſortem, ut Vos junctos virtute potenti, poſthac legat Orbis maximos Fundatores. Verior illa Æva Divorum Mater eſt, ſub cujus Nomi-

ne

ne dùm tantæ molis Opus ſuam lucem ſpe-ctat, ſimul ad ſpectaculum invitat, ut non tan-tum Benefactricem, verùm etiam & ſingula rem Monaſterij Fundatricem veneremur. Si honores conſanguineos recenſemus, majores, maximis ſunt; Si virtutes, innumeras videmus. Inquilinam Vniverſitatem Divorum ſibi fa-miliarem fecit, nullusq; Ei copioſior ſermo, quàm cum Superis, nulla major conſuetudo, quàm cum DEO. Stemmatico Capite ſuo Iovem, ſtellas oculis, & omnes ſydereos con-cluſit amores; nihilq; in Ea eſt quod admirati-onem non faceret. Prudentiæ Majeſtas, quali ſe Pallas jactare vellet; Vultus modeſtia, qua-lem in ſua Penelope, deſideraret Vlyſſes, omne apud Eandem ingens, omne primum. Accin-xit ſuas cum Magno *JOANNE* ultra ſexum vires, & cùm jam Vero Numini debitum extructum Sacrarium, utriq; Fundationis con-cernens munus, intra conſecrationis ſolennia, gaudiorum addit incrementum. Et bene eſt; effulſit enim illa primis titulis, *TV* Magne *JOANNES* ad exſtructam Fundationem omnem materiam à *TVI* Patroni Montanis deſumpſiſti. Ad dulce Orphei melos quon-dam ſe lapides novos ſinuarunt in luſus út

525

Thæbas confecissent. *TV Illustrissime CANCELLARIE*, Liberalem dexteram admovisti ut Sanctius PANTHEON Elianis ignibûs *Clarissimũ, ROSIS Gentilitijs* Florentissimum coficeres. Erigit Carmelitaná hæc moles verticẽ & ipsos superemineт Cælos; exinde libertatis tenens auctoramentum, quòd nullum servile jugum admiserit, *TVA* liberalitate promovente. Surgit exinde non tantùm Magno *TVO* Nomini gloria, verùm etiàm & colligatis Domui *Celsissimæ* Familijs decus & ornamentum. Erexisti immortalis famæ, Genti *TVÆ* Aram, etiam & *TIBI* sangvine junctis, similem erexisti. Patent exinde clariùs *WISNIOWIECCIORVM, RADZIWILIORVM, ZBARASCIORVM, LVBOMIRSCIORVM, SANGVSZSCIORVM, CZARTORYSCIORVM, LESZCZYNIORVM, POTOCCIORVM, IABŁONOWSCIORVM, RVPNIEWSCIORVM, BRZOSTOWSCIORVM, SIENIAVIORVM, OPALINIORVM, PREBENDOWSCIORVM, TARŁONVM, ODROWĄZIORVM, PRZYIEMSCIORVM, WIELOPOL-*

POLSCIORVM, RZEWVSCIORVM, KVNICCIORVM, CZARNECCIORVM, MAŁACHOWSCIORVM, TOMICCIORVM, PISARZEWSCIORVM, DĘBINSCIORVM IAGNIĄTKOWSCIORVM, NIELEPCORVM, BRZECHFFARVM, & alia ſexcenta Nomina, quæ Roſeum favorem, erga florentiſſimam Fundationis Baſilicam fovebunt in poſterum. Sanctiores Veſtales gratitudinis, & perennis obligationis accendunt ignes, ſed nec ipſe duntaxat Carmelus Fũdatoris Munificentiâ onuſtus acclinis eſt, nec ipſæ Veſtales & Sacer THERESSIÆ Cætus, Fundatori ingeminant plauſus, cùm ad eoſdem exhibendos tota Cracovia pandit portarũ poſtes. Currit inde Polona felicitas, cui *TV* in Sanctiori PANTHEO beatitudinem reddiſti. Baſilica hæc, quam Sanctæ Matri THERESSIÆ & Divo IOANNI à Cruce Magnus erexiſti *CANCELLARIVS* omne Baſilicum in *TE* monſtrat, qui uti liberalitatis inexhauſtum mare, ad laudum Tuarum epilogum, exordia prætendis. Ergo dum ob gloriæ magnitudinem humanæ tacent Panegyres, Parietes Sacri, Divorum Aræ

 pro

527


pro Domo *Celsissima* agant Oratores. Eant Saxa in virtutum simulacra, surgant in Obeliscos quibus Munificentiam perennitas insculpat, atq; Nomen *TVVM* Illustrissimum omne veneretur Ævum, semperq; sit Elianis Ignibûs CLARISSIMUM, *ROSIS* Gentilitijs FLORENTISSIMUM, hoc, quod liberalissimus erexisti Fundator,

PANTHEON.





39


Biblioteka Jagiellońska
stdr0023095